

C.A.P.E.S.
CONCOURS EXTERNE

Section : LETTRES CLASSIQUES

VERSION LATINE

CHRONIQUE ITALIENNE : SUITE CATASTROPHIQUE D'UN PROJET DE MARIAGE

Dum haec Romae geruntur, legati ab Ardea veniunt, pro veterima societate renouataque foedere recenti auxilium prope euersae urbi implorantes. Frui namque pace optimo consilio cum populo Romano seruata per intestina arma non licuit ; quorum causa atque initium traditur ex certamine factionum ortum, quae fuerunt eruntque pluribus populis exitio quam bella externa, quam fames morbiue quaeque alia in deum iras velut ultima publicorum malorum vertunt. Virginem plebeii generis maxime forma notam duo petiere iuvenes, alter virgini genere par, tutoribus fretus, qui et ipsi eiusdem corporis erant, nobilis alter, nulla re praeterquam forma captus. Adiuuabant eum optumatium studia, per quae in domum quoque puellae certamen partium penetravit. Nobilis superior iudicio matris esse, quae quam splendidissimis nuptiis iungi puellam volebat : tutores in ea quoque re partium memores ad suum tendere. Cum res peragi intra parietes nequisset, ventum in ius est. Postulatu auditio matris tutorumque, magistratus secundum parentis arbitrium dant ius nuptiarum. Sed vis potentior fuit ; namque tutores, inter suae partis homines de iniuria decreti palam in foro contionati, manu facta virginem ex domo matris rapiunt ; adversus quos infestior coorta optumatium acies sequitur accensum iniuria iuvenem. Fit proelium atrox. Pulsa plebs, nihil Romanae plebi similis, armata ex urbe profecta, colle quodam capto, in agros optumatium cum ferro ignique excursiones facit ; urbem quoque, omni etiam expertum ante certaminis multitudine opificum ad spem praedae evocata, obsidere parat ; nec ulla species cladesque belli abest, velut contacta civitate rabie duorum iuvenum funestas nuptias ex occasu patriae petentium. Parum parti utrique domi armorum bellique est visum ; optumates Romanos ad auxilium urbis ob sessae, plebs ad expugnandam secum Ardeam Volscos excivere.

TITE LIVE, *Ab Urbe condita*, IV, 9